

TABULA VII.

De

CAUSA EFFICIENTE.

I. **CORRELATUM** (quod est id, respectu cuius aliquid efficiens dicitur) describi potest his verbis: **ID QUOD EFFICITUR**. Nam dum causa efficiens agit, *efficitur* aliquid, sed non statim *effectum* est, sicut, dum Architectus ædificat, ædificatur domus, sed non statim exstructa est. Id autem quod *efficitur*, antequam *effectum* est, effectum appellare absolum est.

II. **DE CAUSALITATE & RATIONE CAUSANDI** in genere nihil dici potest, quum causæ efficientes inter se adeò differant, ut ad unam causalitatem vix revocari posse videantur.

**CAUSA EFFICIENTENS** est causa externa, quæ per potentiam actu existentem influit esse in aliud, aut, si non influit, intendit tamen & aliquid ad ipsam, confert. Hic notanda sunt

1. **DEFINITIO**, que est causa externa, realiter influens esse in aliud. Dum causa externa dicitur, separatur à *materia* & *forma*, quæ causæ internæ sunt. Voculâ *realiter* segregatur à *sine*, qui etiam est causa externa, & influit esse in aliud, sed non ita *realiter* ut causa efficiens, cum realis eius existentia non æquè requiratur. (Quamquam & quæ causæ finali tribuitur, licet ad differentiam influxus aliarum causarum tantum *intentionalis* dicatur, verus ac realis est influxus.) Ita Architectus est causa *Physica* domus, quam ædificat, dominus autem, quæ domum exstrui jubet & curat, causa *Physica* illius non est, quum nullum influxum in eam præstet.

2. **RATIO CAUSANDI**, sive id, quo aliquid aptum est, ut sit causa efficiens, est potentia activa: quomodo ars in Architecto est ratio causandi respectu ædificandæ domus.

3. **CAUSALITAS**, (quæ est ratio, per quam aliquid actu est causa,) causæ *physicæ* est actio vel effectio, neque enim *physicè* quicquam causa efficiens est, nisi hoc ipso, quod agit vel efficit aliquid. Sicut Architectus est causa efficiens domus per hoc, quod eam ædificat.

1. **DEFINITIO**: *Causa Moralis* est, que in effectum non influit, ex directâ tamen illius intentione aliquid confert, aut saltem indirectè illum intendit. Sic carnifex suspendens furem iussu Magistratus, *Physica* causa est, Magistratus *moralis*. Item, si aliquis ignem subjiciat tecto, is *moralis*, ignis verò *physica causa* est combustionis ædium.

Talis E. causa *Moralis* est. 1. qui applicat agens ad patiens, aut 2. patiens ad agens. 3. qui removet prohibens. 4. Præcipit (p) atque jubet. (Sic David occidit Uriam. 2. Sam. II. v. 15.) 5. Consulit atque suadet, aut 6. cogit aliquem ad aliquid faciendum, aut 7. intercedit pro aliquo; aut 8. λόγος pro aliquo exsolvit; vel etiam 9. sumtus ac media suppeditat, quibus adjutus aliquis aliquid patrat, aut porro 10. facit aliquid, quod postmodum operatur aliquid; vel 11. non impedit aliquid, cum possit ac teneatur, vel 12. omittit aliquid eorum, que ipsi erant faciendæ, & ad quod postmodum effectus consequitur. &c.

2. Ratio causandi causæ *moralis* est **POTENTIA LIBERA**. Neque enim vel *indirectè effectum intendere*, vel *ex directâ intentione aliquid ad ipsum conferre*, ullius est, nisi liberâ potentiâ præditi: Quo fit, ut neque bestia, neque ullum aliud agens potentiâ liberâ destitutum causa *moralis* esse queat. Pollent autem libertate arbitrii, eoque causæ *morales* esse possunt omnes substantiæ intelligentes, v. gr. DEUS, Angeli & homines.

3. Causalitas causæ *Moralis* est **INTENTIO** tum Directa, tum Indirecta. Ubi quidem strictè sumitur *intentio*, prout agentibus intelligendi vi præditi competit; (γ) **DIRECTA INTENTIO** dicitur comparatione EFFECTUS, QUEM QUIS IPSO VOLUNTATIS ACTU EFFICACI EXPETIT. h. e. ita, ut efficere vel saltem aliquid ad ipsum conferre cupiat v. gr. Scriptor *Directè* literarum exarationem intendit, quando calamum in manum capit, ut scribat. **INDIRECTA INTENTIO** dicitur comparatione effectus, quem quis actu voluntatis non expetit, sciens tamen aliquid ad ipsum confert, atque adeò perinde se gerit, ac si eum expeteret. Et pro diversâ aliquid ad effectum conferendi ratione duo illius quoque modi sunt. I. Cum quis appetit & agit quippiam ex quò aliquò modò novit effectum sequi: quomodo qui medicamentis

PHYSICA, ubi notari debet

PRIMA, efficiens alia est

MORALIS, ubi notari debet

III. DIVISIONES, quarum

A B